


## DIPLOMATA GANDERSHEIMENSIA,

AVT EX IIS EXCERPTA,

Ex MSto.

*Concessio & Transumptum Ludolfi fundatoris.*

 Via scriptum est, pretium animæ viri divitiæ ejus; idcirco ego *Liudolfus* simul cum conjugē meā *ODA* quandam hæreditatis nostræ partem Deo & Dei ancillis habendam pro redemptione animæ nostræ, & earum simul, quibus debitores sumus, judicavi. Proinde omnes ubique in Christo fideles, tam præsentēs scilicet quam futuros nosse volo, me ad *Ecclesiam Gandeshemensem* sanctimonialibus ibidem Deo fervientibus tradidisse, quicquid in *Gandesheimia Marcu*, & in *Riuderia Marcu*, & in *Aluunga Marcu* habui, in terris, silvis, campis, partis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, propriis vel communibus, domibus, ædificiis vel prius habitis vel postea constructis; mancipiis quoque diverſi generis vel conditionis; mobilibus & immobilibus, & in quibuscunque rebus cum omni integritate earum. Et ut hæc traditio firmior esse, & indissolubilem per succedentia tibi secula auctoritatem habere posset, filiam meam *Hathumodam* nomine, sacro velamine ibidem consecrari faciens, tam Imperiali auctoritate, quam Apostolicæ Sedis literis & Episcopali benedictione munire curavi, & sanctorum Christi confessorum *Anastasi* Papæ & *Innocentii* Papæ corporibus, & tam Sancti Salvatoris quam & Sanctæ Genitricis & duodecim Apostolorum dignis reliquiis a venerabili Papa *Sergio* acceptis adornare studui. Cujus literas quamvis in papiro secundum præcā Apostolicæ Sedis consuetudinem scriptas habeam, hic tamen propter eos, qui illas habere non possunt, ponere dignum duxi. Unde parumper legentes vel audientes a me ad illius verba se convertant. *Sergius* Episcopus servus servorum Dei omnibus venerabilibus confratribus nostris Archiepiscopis seu reverendissimis & sanctissimis Episcopis, religiosiſ Abbatibus, gloriosis Ducibus, Clericis, Comitibus atque cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet & futuris. Omnis itaque Christianorum militia sciat, ac sine ulla dubitatione indubitanter agnoscat: Quia mandante nobis domino atque invictissimo Rege nostro *Hlodouico*, ut pro cœnobio, quod avus & ejus postea carissimus genitor in honore omnipotentis Domini dedicaverunt, ad eundem sanctum locum de sanctorum Christi corporibus mandare deberemus: Pro qua videlicet petitione congrua & satis justa hunc venerabilem & gloriosum Comitem *Liutolfum* nomine, qui eidem sacro loco præest, cum imperiali ad nos epistola dirigere studuit. Nos quoque tam saluberrimam dignamque postulationem cum magna lætitia & exultatione suscepimus, ac pro salute patriæ & magno caritatis amore, quem erga Christianissimum Imperatorem & Dominum nostrum habemus, beatissimorumque Christi, Præfulum corpora *Innocentii* & *Anastasi* Papæ, nec non & reliquias Domini ac Salvatoris nostri Sanctæque suæ Genitricis Mariæ atque duodecim Apostolorum ad prædictum sanctum locum deferenda libenter præbui-  
mus. Præterea has vobis omnibus in Christo piè viventibus nostras Apostolicas syllabas monstrare jussimus, ut non, quod absit, increduli, sed modis omnibus existatis veraces, quod nos prædicto huic *Liutolfo* glorioso Comiti prædictorum Sanctorum corpora, *Innocentii* & *Anastasi* Papparum, sive reliquias dedimus. Hæc sunt verba Epistolæ, quam mihi venerabilis Papa *Sergius* in papiro, ut diximus, scriptam & suo sigillo munitam dedit. Quam ita ideo huic traditioni meæ inferere volui, ut quicumque hæc legerit, sciat, vel quanta auctoritate locus iste in Monasterium sit fundatus & consecratus, vel quorum Sanctorum corporibus ac pigneribus illustratus, vel ad quorum Sanctorum memoriam hæc traditio, quam ad *Ecclesiam Gandeshemensem* ancillarum Dei usibus deputavi, sit facta.



*Præceptum Ludovici Regis de libertate loci & Electione  
libera in Gandesheim.*

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS HLVDVICVS  
divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam con-  
ferimus, & necessitates ecclesiasticas nostro sublevamus juvamine, atque regali tuemur mu-  
nitione, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter ob-  
tinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum  
tam præsentium quam & futurorum industria, qualiter *Brun & Otto* nostri fideles Comites in  
procerum nostrorum præsentia tradiderunt nobis quoddam monasterium, quod dicitur *Gan-  
desheim*, quod *Liutolf* genitor eorum imprimis ædificare cepit, & reliquias sanctorum Christi  
Confessorum, *Innocentii* atque *Anastasi* ob honorem Christi illuc venire fecit, quod est constru-  
ctum in honore Sancti Stephani protomartyris Christi, & omnia, quæ ad idem monasterium  
jure ac legitime pertinere videntur, & cui *Gerbirg* soror eorundem Comitum sanctimonialibus  
fœminis præesse videtur: eo videlicet rationis tenore, ut præfatum monasterium regio suble-  
varetur munimine, & sanctimonialibus fœminæ ibidem Deo famulantes in nostro consistere  
patrocínio: & quamdiu in illorum progenie aliqua sanctimonialis fœmina, quam vitæ & san-  
ctarum scripturarum instructio, & omnium bonorum morum commendet compositio, absque  
ullius personæ contradictione sanctimonialibus fœminis esset prælata. Et si aliter, quod ab-  
sit, eveniret, quod talis in illa progenie inventa non esset, quæ præfatis scilicet virtutibus  
*non ornata* videretur; ceteræ sanctimoniales fœminæ dignæ Dei servitio, quamcunque vel-  
lent, eligere inter illas potestatem haberent. Unde per hoc nostræ auctoritatis præceptum de-  
cernimus aut jubemus, ut præfate sanctimoniales fœminæ desideratam à nobis nullo inquietan-  
te electionem obtineant, atque imperialem in cunctis rebus, decimis atque possessionibus,  
quas nunc quolibet jure acquisitionis possident, vel in futurum Deo opitulante habere de-  
bent, per cuncta sæculorum curricula firmam & inviolabilem teneant munitatem: & nullus  
princeps vel alius quilibet exactor judiciarius potestatem vel freda exigenda seu mansiones  
vel paratas faciendas in eodem monasterio, nisi ex consensu & petitione ejusdem monaste-  
rii Abbatis, habere præsumat: & homines illius Abbatis five liberi sint, seu servi, nulla ju-  
diciaria coërceantur potestate, sed in præsentia ejusdem Abbatis Advocati & eorum rectitudi-  
nem adquirent, & ceterorum perficiant. Et ut hæc auctoritas nostræ concessionis & confirmatio-  
nis firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris melius observetur, veriusque  
credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari  
jussimus.

Signum Hludouici serenissimi Regis: UUolfherius Cancellarius ad vicem Liutberti  
archicapellani recognovi.

Data VII Kl. Febr. Indict. X. Anno incarnationis DCCC. LXX. VII. Anno primo Hludo-  
uici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis. Actum Franconofurt in Dei nomine,  
feliciter AMEN.

[ Ex originali membrana Archivi Gandeshemensis. Sigillum bene agnoscere non potest.  
Mirum est, idem originale ibi adhuc semel extare. An Brun & Otto unum quisque pro se  
obtinuit? ]

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS HLVDVICVS  
divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam  
conferimus, ut necessitates Ecclesiasticas nostro sublevamus juvamine atque regali tueamur  
ammonitione; id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam  
feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium  
nostrorum tam præsentium quam & futurorum industria, qualiter nos pro remedio anima-  
rum piissimorum antecessorum Augustorum & ob nostræ mercedis augmentum, nec non pro  
dilecta conjuge nostra *Liurgarda* & carissima prole nostra, quasdam res proprietatis nostræ  
ad monasterium, quod dicitur *Gandesheim* concessimus, quod est constructum in honore  
Sancti Stephani protomartyris Christi, & in nostro constat patrocínio; hoc est in villa, quæ  
dicitur *Tennisteti* & in villa quæ dicitur *Heriki* in pago, qui vocatur *Suchthuringa*, in comitatu *Otonis*,  
cum domibus, ædificiis, campis, agris, pratis, pascuis, sylvis cultis & incultis, aquis, aqua-  
rumve decursibus, viis & inviis, accessibus & adjacentiis, finibus, exitibus & regressibus, &  
quicquid ad præfatas villas jure ac legitime pertinere videtur, ita ut quicquid ab hodierna  
die deinceps Abbatis & sanctimoniales fœminæ præfati monasterii inde facere voluerint, libe-  
ram in omnibus perpetualiter habeant potestatem faciendi. Si vero persona quælibet postero-  
rum



tum nostrorum, quod minime fore credimus, hoc nostræ concessionis præceptum irrumpere temptaverit, & quod in munitatis & electionis à nobis concessa scripto continetur, (\*) violandum decreverit, Dei omnipotentis iram incurrere se nullo modo dubitet, & coram justo iudice in tremendo examinis die se rationem inde redditurum præ scientia malæ temptationis minime ignoret. Et ut hæc auctoritas nostræ concessionis firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris melius observetur veriusque credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Hludovici serenissimi regis. UWolfherius Cancellarius ad vicem Liutberti Archicapellani recognovi.

Data VII. Kl. Febr. Indiçt. X. anno incarnationis Domini nostri Jhu Xpi DCCCLXXVII. Anno primo Hludouici Serenissimi regis in orientali Francia regnantis. Actum Francofurt in Dei nomine feliciter amen.

[Ex originali in membrana, quod extat in Archivo Gandeshemenfi. Sigillum una cum literis circumscriptis: ✠ XPE PROTEGE HLVDOICVM REGEM, satis bene conspici potest.]

**A**gapetus Episcopus servus servorum Dei VVindilgardi Abbatissæ venerabilis Monasterii Ganderesheim, constructi ab Ottone Comite de Saxonia, aliisque suæ sortis Abbatissis in perpetuum. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desiderijs, oportet, ut devotioni conditoris piæ conservationis auctoritas in privilegijs præstandis minime denegetur. Igitur quia postulavit à nobis *Hatthumarus* venerabilis Abbas, ut per ejus interventum atque deprecationem vestrum Monasterium *Ganderesheim*, situm juxta fluvium *Aternam*, Apostolica auctoritate vobis confirmarem, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo autore deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re pijs desiderijs faventes [per] hanc nostram auctoritatem, id quod exposcitur, effectu mancipamus, & ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ Sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere auctoritate nostra, præter sedem Apostolicam prohibemus. Auctoritate namque beatorum Apostolorum Petri & Pauli jubemus, ut nullus Rex habeat licentiam vestrum Monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto juxta id, quod subjectum Apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcussæ ditatum permaneat locis ac rebus tam hijs, quas moderno tempore habet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius Monasterii divina pietas voluerit augere, & donis, oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Quando autem Abbatissa ipsius Monasterii de hoc seculo migraverit, nulli sit licitum aliquam ibidem ordinare Abbatissam, nisi ex ipsa congregatione, si talem invenerit, quæ digna Deo sit, & se fortasse ibidem inventa non fuerit, tunc Rex habeat potestatem talem ibidem ordinare Abbatissam, quæ digna Deo placere possit. Constituimus etiam per hujus decreti nostri paginam, ut quicumque cujuslibet Ecclesiæ Præsul, vel quacunque dignitate prædita persona hanc nostræ privilegii cartam, quam auctoritate Principis Apostolorum firmamus, temerare temptaverit, anathema sit, & iram Dei incurrens, à cætu sanctorum omnium extorris existat; ut nihilominus præfati Monasterii dignitas à nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat, Apostolica auctoritate subnixâ. Scripta per manus Stephani Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mensè Januario indictione sexta. Bene valete, Datum III. Non. Januariæ per manus Andreæ divini respectus gratia arcarii (\*\*\*) Sanctæ Sedis Apostolicæ, Anno Deo propitio pontificatus Agapiti summi Pontificis universalis junioris (\*\*\*) papæ in sacratissima sede Beati Petri Apostoli secundo.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DEI gratia Rex. Notum sit igitur omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet ac futuris, quomodo *Ludolfus* proavus noster Dux Saxonia quoddam Monasterium in loco *Ganderesheim* nominato construxit cum venerabili ejus conjugè *Ota* primordium ejusdem constructionis affirmans cum filia Deo consecrata, quam Dei servitio ibidem mancipavit, simulque cum ea tradens dotis nomine, quicquid prædij habuit in *Gandershemia* marcu, & in *Rudiera* marcu, & in *Aluungamarcu*, & in *Latheria* marcu. Postquam autem memoratus Dux migrans à seculo, ejusque venerabilis conjunx viduata remansit, filii eorum Duces *Brun* & *Otto* adierunt *Lodovicum*

A a a 3

venera-

(\*) Est alterum Diploma.

(\*\*) f. Secundicæ in præcepto Iohannis XIII dato monasterio S. Remigii apud Mabillon lib. 5. R. Dipl. p. 445. etiam Stephanus Scriniarius & Andreas (primicerius) Diploma expediunt.

(\*\*\*) Secundi.



venerabilis Regem, qui sororem eorum ab eis in matrimonium acceperat, & tradiderunt ei supra memoratum Monasterium, quod Ludolf genitor eorum in primis ædificare cepit, cum omnibus, quæ ad idem Monasterium jure ac legitime pertinere videntur, eo videlicet rationis tenore, ut præfatum Monasterium Regio sublevaretur munimine, & sanctimonialia feminae ibidem Deo famulantes in ejus & deinceps succedentium consisterent patrocinio Regum. Quod ille desiderium gratanter accepit, atque auctoritate Regali concessit, easdem sanctimonialia potestatem habere inter illas, quamcumque vellent, eligere & electionem nullo inquietante sed Imperiali auctoritate eas protegente per cuncta seculorum curricula firmam & inviolabilem teneant. Deinde concessit, omnes mercatores à Reno usque ad Albiam, & Sale transeuntes ad usus Sanctimonialium ibi degentium censum telonii (\*) persolvere. Postea vero tradidit ad sæpe dictum Monasterium in pago, qui vocatur *Sutthuringa* in comitatu Wilhelmi, (\*\*) quicquid habuit in *Tennisteti*, & in *Heriki* & in *Blidernsteti*, ac deinde dotavit venerabilem socrum suam *Otam*, quæ fundatrix extitit Monasterii post obitum senioris ejus *Lutolfi* tradens ei in pago *Northuringa* dicto in Comitatu *Theoderici* in loco, qui dicitur *Wanzlewa*, quamdiu superstes in hac vita remansisset, post obitum vero ejus absque contradictione hæredum, & concessit auctoritate regali eandem hæreditatem iure perenni Monasterio in proprietatem pro remedio animarum piissimorum antecessorum Augustorum, ac ob ejus mercedis augmentum, nec non pro dilecta conjuge sua *Lutgarda*. Hujus igitur venerabili exemplo provocatus *Arnolfus Rex* tradidit ad idem Monasterium in beneficium per interventum conjugis suæ *Ore*, nec non & *Hildgarda* venerandæ neptis ejus in elemosynam divæ memoriæ avi sui *Ludovici Regis genitoris*, ejus [*Arnulfi*] *Karolomanni Regis*, nec non pro beatissimorum Regum videlicet *Lodovici* & *Karoli patruorum* ejus commemoratione, animæque ejus remedio ad usus ancillarum Dei ibidem Domino sanctisque ejus divina obsequia die noctuque persolventium, quicquid habuit in *Cruffe* & in *Calechheim*, & in *Bliuztibi* in comitatu *Ermensfridi*. Deinde tradidit *Otto Dux* in *Hullansteti*, & *Henricus Rex* tradidit in *Veltberch* & in *Heribusen*. Hæc igitur omnia, quæ præfati scripto continentur concessa, non tantum auctoritate regali concedimus, sed cum hiis, quæ in *Mundilirchheim* habuimus, augmentamus. Et si persona quælibet posterorum nostrorum, vel aliorum, quod minimè fore credimus, hoc nostræ concessionis præceptum irrumpere temptaverit, & violandum decreverit, Dei omnipotentis iram incurere nullo modo dubitet, & coram justo iudice in tremendi examinis die se rationem inde redditurum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora melius observetur veriusque credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari iussimus. Signum Domni *Otonis* invictissimi Regis *Liutolfus Cancellarius* ad vicem *Brunonis Archicapellani* recognovi. Actum in *Werlabu* feliciter Amen. Data XI. Kal. Maji Anno incarnationis Domini DCCCCLVI. indictione 13. regnante pio Rege *Otone* anno XXI.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA favente Clementia Rex. Noverint . . . qualiter *Episcopus Wirzburgensis Poppo* Regalitates nostræ Celsitudinem adiit, deprecans, ut *Judite* præpotenti *Bauvariorum* Dominæ quædam loca in proprietatem traderemus . . . Eidem ergo præfate Dominæ *Judite* tradimus quædam loca sibi in proprium jus retinenda, suisque posteris hæreditario jure relinquenda, vel quicquid sibi de hiis placuerit faciendum, sita in orientali Francia in pago *Tubergowe* in comitatu *Gerungi*, *Sunderenhof*, *Baldoloesheim* nuncupata cum omnibus illuc pertinentibus. Signum invictissimi Regis Domni *Otonis* *Liudolfus Cancellarius* ad vicem *Brunonis Archicapellani* recognovi. Data III. Idus Feb. Anno Dn. incarnationis IX. DCCCC. Ind. III. anno regni *Otonis* piissimi Regis XXVI. Actum *Radespona* in Dei nomine feliciter Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS . . . Qualiter *I*ego *Bernhardus Halberstadenfis Ecclesie* solo nomine *Episcopus* rogatu Dominæ *Gerberga Gandersemensis* Monasterii venerabilis *Abbatissæ*, & interventu dilectissimi Domini nostri *Otonis Augusti* omnem decimationem quatuor marcarum & villarum, scilicet *Dengdi*, *Witmari*, *Wewerlingi*, *Sutherim*, præfente eodem dilectissimo Domino nostro *Otone* Imperatore Augusto & Comitibus præsentibus supra dicto *Gandershemensi* Monasterio ad augmentum victualium & vestimentorum ancillarum Dei ibidem Deo fervientium contradidi. Ob cujus remunerationem largitionis supra dicta venerabilis *Abbatissa*, quatenus hæc traditio per nos facta firma stare & inviolata . . . *Halwerstadenfis* Monasterio singulis annis duas carradas vini de bonis Ecclesie *Gandershemensis* repræsentari statuit. Siquo autem, quod absit, regni dis-

fido

(\*) non extat hæc diploma de telonio.

(\*\*) sed originale, quod hic citatur, habet in Comitatu *Otonis*.



fidio vel sterilitate terræ, vinum denegaretur, pondus *quatuor marcarum argenti* repræsentetur. Facta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXV, indiët. VIII. Regni Domni Ottonis XXX. imperii V.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA providente Clementia Imperator Augustus . . . Dilectissimæ conjugis nostræ Theophanu Coimperatrici Augustæ, nec non Imperii Regnorumque consorti, has proprietatis nostræ possessiones tam civitates, quam etiam curtes cum plenissimis earum pertinentiis quocunque locorum sitis, id est *Eskimvach, Frioda, Mulenbusa, Tutinsoda, Gleheim* in regione Turingia in *Germarene* Marcu in Comitatu *Wiggerii* Comitis fitas concessimus cum complurimis villarum minorum possessionibus, ad hæc etiam majora respicientibus. Signum Domni Ottonis Imper. Aug. *Willigisus* Cancellarius vice *Roberti* Archicapellani notavi. Data III. Kal. Maji anno incarnationis Domini DCCCCLXXIII. ind. II, anno regni Domini Ottonis XIII. imperii VII. actum *Mulenbusa*.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA favente Clementia . . . semper Augustus . . . Quia nos ob interventum dilectissimæ conjugis nostræ *Alheida* prædium quoddam *Bubeshuse* vocabulo quondam *Eberhardi* Comitis dum vixit, proprium, & insuper, quantum ipse *Eberhardus* in *Ollinga* tenuisse perhibetur, in Comitatu *Gerungi* Comitis *Dubargouue* nuncupato situm, *Gerburga* Ganderesheimensi Abbatissæ neptique nostræ Imperiali usi potentia, in proprietatis usum concessimus, cum utriusque sexus mancipiis, ædificiis . . . tali videlicet rationis tenore, ut libera deinceps fruatur licentia hæc tenendi, commutandi, seu quicquid sibi libuerit inde faciendi . . .

Signum Ottonis magni & invictissimi semper Augusti.

*Willigisus* Notarius ad vicem *Roberti* Archicapellani notavi. Datum Nonis Octob. anno incarnationis Domini DCCCCLXXIII. Ind. XV. Anno regni Ottonis XXXIII. Imperii vero XIII. Actum *Driburg*.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA favente Clementia Imperator Augustus . . . Qualiter nos ob amonitionem charissimæ genitricis nostræ *Alheidæ*, progenitoris nostri omniumque debitorum nostrorum (\*) animabus, nec non imperii nostri stabilitati, quoddam nostri juris prædium *Schusa* nuncupatum in pago *Amburgeuue*, & in Comitatu *Rotungi* Comitis situm, & civitatem ad idem pertinentem *Schusaburg* nominatam ad Monasterium Ganderesheim hominum vitiis lapsam, sed à nepti nostræ *Gerburga*, ejusdem cænobii Abbatissa, hoc nostro fulcimine restaurandam . . . in perpetuam proprietatem tradidimus. Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti. *Willigisus* Cancellarius vice *Roberti* Archicapellani notavi. Data VII. Id. Jun. anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXIII. Ind. II. anno vero regni Domini Ottonis XIII. imperii autem III. actum *Gruonanaba*.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA favente Clementia Rex . . . Qualiter nos remunerationis æternæ causâ Monasterium Gandersheim nuncupatum, in honore Sanctæ Mariæ & omnium sanctorum à nostris constructum progenitoribus nostri immunitate patrocinii donamus; Sanctimonialibus ejusdem cænobii electionis arbitrium concedentes omniaque à prædecessoribus nostris Regibus huc collata, *Ludovico* scilicet prædia in villis *Tennistedi & Heriki & Bliterstedi* cum familiis cæterisque omnibus seu appenditiis in pago *Suthuringa* in Comitatu, cui tunc temporis *Otto* præfuit, & ab *Arnulfo* proprietates in villis *Crube & Kalecheim* nominatis illò traditas, & à proavo nostro *Lutulfo*, qui præcitatum construxerat Monasterium, quicquid in confinio villarum infra nominatarum, id est *Ganderesheim, Ruidum, Aluungun, Denckebi, LabinElhorpe* proprietatis habuit, datum, & ab ejus conjugæ *Oda* villam unam *Zlovo* cum omnibus illuc jure pertinentibus; & ab avo nostro *Otrone* villam *Hullanstedi* cum omnibus appenditiis suis tradita; [ad] hoc Regalitates nostræ curtes etiam *Herribusen & Feldbiki* cum omnibus eo pertinentibus, quas Dominus ac genitor noster *Henricus* Rex præfato dedit Monasterio, cum prædio illuc à Domina ac matre nostræ *Matbilda* Regina in Frisia collato, præcepto firmamus. Tradimus insuper earundem victui sanctimonialium, quicquid proprietatis hæctenus habuimus in villa *Mundulingheim* in pago *Hatteri* in Comitatu *Erenfridi*. Jubemus etiam, ut nullus Comes, vel alius quislibet exactor judi-

(\*) id est, quibus debitores sumus,



judiciariam potestatem, vel freda exigenda, (ut in Ludovici diplomate) . . . . eorum re-  
 ctitudinem adquirant & cæterorum perficiant.

Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis.

*Brun* Cancellarius ad vicem *Fridurici* Archicapellani recognovi. Datum III Nonas Ma-  
 jas Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLVI. ind. II. anno vero Domini Ottonis piissimi  
 Regis XI. Actum *Werlaban* in Dei nomine feliciter Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA  
 favente Clementia Imperator Augustus . . . ob hoc nos Imperiali nostra Majestate dile-  
 ctissimæ nostræ Conterali *Theophanu* in pago *Lugo* curtem quandam *Polida* dictam in proprium  
 donamus . . . .

Signum Domini Ottonis piissimi ac invictissimi Imperatoris Augusti.

*Hildebaldus* Cancellarius ad vicem *Willigisi* Archicapellani conscripsi Anno Dominicæ in-  
 carnationis DCCCCLXXVIII. Ind. VI. regni vero Domini Ottonis XVIII. imperii autem XI.  
 Data XVI. Kal. April. Actum *Sumeringe* feliciter in Dei nomine Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA  
 favente Clementia Imperator Augustus . . . Qualiter nos dilectæ conjugis nostræ *Theo-*  
*phanu*, Imperatricis Augustæ ac dilectæ filix nostræ *Sophiæ* votum sequentes ob dilectionem &  
 interventum neptis nostræ *Gerbergis* Abbatissæ venerabilis ad Ecclesiam, cui ipsa præesse vide-  
 tur, in loco *Gandersheim* dicto constructam, ac in honore sanctorum confessorum pariterque  
 pontificum *Anastasi* atque *Innocentii* consecratam, *Urbalem bannum*, quem vulgariter *Burgban* vo-  
 cant, ante prædecessores nostros, Reges videlicet & Imperatores, ad prædictam civitatem,  
 pertinentem, hac nostra præceptione noviter confirmamus, & inter duos nostræ dominationis  
*Urbales bannos*, unum in *Seburch* & alterum in *Grene* in jus præfatæ Ecclesiæ & Abbatissæ . . . à  
 novo concessimus . . . nec ullus deinceps Comes vel Advocatus vel alia qualibet persona,  
 sine voto & jussu . . . Abbatissæ . . . potestatem super eisdem bannos aliquo modo ha-  
 bere præsumat.

Signum Domini Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.

*Hildebaldus* Episcopus & Cancellarius ad vicem *Willigisi* Archicancellarii recognovi. Data  
 III. Id. Mart. anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXX. Indict. VII. anno regni secundi  
 Ottonis XVIII. Imperii autem XIII. Actum *Tornburg* in Dei nomine feliciter Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA  
 favente Clementia Rex . . . quomodo nos ob dilectionem & petitionem dilectæ genit-  
 tricis nostræ *Theophanu*, videlicet Imperatricis Augustæ; & caræ sororis nostræ *Sophiæ* sancti-  
 monialis simul causâ, propter pium interventum dilectæ neptis nostræ *Gerbergæ* *Gandes-*  
*heimensis* Ecclesiæ venerabilis Abbatissæ . . . concessimus, ut . . . in loco *Gandersheim*  
 vocato . . . habeat mercatum ac monetam ac telonium . . . Regium nostrum bannum illuc  
 dedimus, ut omnis causa, quæcunque in eodem loco contra leges suborta fuerit, per iusio-  
 nem Abbatissæ . . . nostro regio banno ad suas manus recipiendo emendetur . . . nulla-  
 que persona judiciaria, parva seu magna, deinceps in prædicto loco jus exercendi potesta-  
 tem habeat, nisi . . . Abbatissæ, & is, quem ipsæ ad hoc opus & ministerium elegerint &  
 constituerint advocatum. Ad hæc etiam volumus atque regia potentia jubemus, ut nego-  
 tiatores & habitatores ejusdem loci eadem lege utantur, qua cæteri Emtores *Trotmanniæ* (\*)  
 aliorumque locorum utuntur . . . Signum Domini Ottonis gloriosissimi Regis, *Hil-*  
*dibaldus* Episcopus & Cancellarius vice *Willigisi* Archiepiscopi recognovi. Data II. Nonas Aug.  
 anno Dominicæ incarnationis DCCCXC. Indict. III. anno autem tertii Ottonis regnantis  
 septimo. Actum *Ganderesheim* feliciter Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA  
 favente Clementia Rex . . . quomodo nos ob petitionem & interventum dilectæ genitri-  
 cis nostræ *Theophanu*, videlicet Imperatricis Augustæ caræ, sorori nostræ *Sophiæ* sanctimo-  
 niali de nostra proprietate dedimus triginta mansos in villis *Morlewingærod*, *Forezasi* & *Hadilvin-*  
*gerod* dictis fitos, & in pago *Lisgouæ* vocato ac Comitatu *Sigeberti* Comitis jacentes, & alios  
 triginta mansos in villis *Peranhusen*, *Linclingeshusen*, & *Helleveshusen*, *Lencleron*, *Radeleshusen* & *Hatti-*  
*cheshusen*

(\*) puto: Trotmanni.



*chesbusen* nominatis fitos, & in pago *Lochne* nuncupato, atque Comitatu *Hermanni* Comitis adjacentes, atque eosdem manfos numero sexaginta . . . ad integrum sibi in proprietatem tradidimus.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi Regis.

*Hildebaldus* Episcopus & Cancellarius vice *Willigisi* Archiepiscopi recognovi. Data III. Idus Aug. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXC. Ind. III. anno autem tertii Ottonis regnantis VII. Actum *Sciffenburga* feliciter Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA favente Clementia Rex . . . quomodo nos divinæ pietatis attactu commoniti nec non Dominæ matris nostræ *Theophanu* Imperatricis Augustæ in die hominem exeunte interventu rogati, atque dilectissimæ aviæ nostræ *Adelbeide* Imperatricis Augustæ; *Willigisi* etiam Moguntinensis Archiepiscopi, *Hildebaldi* Wormatiensis Episcopi precibus obsecrati *Sophie* sorori nostræ, paterno solamine maternoque destitutæ, ac nostræ post Dominum sustentationi derelictæ prædium *Eskinevag* nominatum in pago *Germana Marsa*, & in Comitatu *Siggonis* Comitis situm contradidimus, totumque quicquid est inibi utilitatis, nostrum jus regium hactenus respicientis cum omni integritate in proprium addiximus; ea quidem ratione, ut si soror nostra ante, quam nos, naturæ concedens universæ carnis iter arripiat, prædium, quod mancipavimus, ad nos hæreditario jure recurrat: si autem nobis superstes existat . . . quicquid libuerit inde faciendi, liberam potestatem habeat.

Signum Domini Ottonis magni, & Deo disponente invictissimi Regis.

*Hildebaldus* Episcopus & Cancellarius vice *Willigisi* Archiepiscopi conscripsi. Dat. II. Nonas Jul. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIII. Ind. VII. Anno autem tertii Ottonis regnantis XIII. Actum *Mogontia* feliciter in Domino Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS OTTO DIVINA favente Clementia Rex. Omnium fidelium notitiæ pateat, qualiter consultu & petitione dilectissimæ aviæ nostræ *Adalbeide* Imperatricis Augustæ, *Willigisi* etiam Moguntinensis Archiepiscopi, & *Hildebaldi* Wormatiensis Episcopi; nec non *Johannis* Placentini Episcopi, & *Bernwardi* Wirceburgensis Episcopi, *Sophie* sorori nostræ paterno maternoque solamine destitutæ, & post Dominum nostræ per omnia sustentationi derelictæ, quosdam nostræ proprietatis & juris servos, *Epponem* videlicet & *Nendicigum Reginoldum* ac fratrem suum, nec non *Azzachonem* & *Macellinum*, cum omnibus, quæ in beneficium aut in possessionem habere & possidere videantur, in proprietatem tradidimus atque donovimus, quod est in pago *Germana Marcu*, cum ædificiis, cum pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, mancipiis utriusque sexus, & cum omnibus ad hæc pertinentibus, ea quidem ratione, ut si jam dicta soror nostra ante nos naturæ cedens, universæ carnis iter arripiat, ad nos jure hæreditario recurrant . . .

Signum Domini Ottonis gloriosissimi Regis.

*Hildebaldus* Episcopus & Cancellarius ad vicem *Willigisi* Archiepiscopi recognovi. Datum II. Kal. Octob. anno Dominicæ incarnationis DCCCCXCIII. Indict. 7. anno autem tertii Ottonis regnantis XI. Actum *Sulogun* feliciter in Domino. Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS HENRICVS Divina favente gratia Rex . . . qualiter nos interventu ac petitione dilectissimæ sororis nostræ *Sophie* Abbatisse sibi ac suo Monasterio *Ganderesheim* dicto . . . per concambii commutationem *Baldowesheim*, *Eluigeshoven* nec non & *Somberenhoven*, quandam curtem, quæ dicitur *Dorneburg*, in pago *Baribega*, in Comitatu *Sipponis* Comitis, sed & *Badfeldum* cum foresto & vinatione & *Redeborum* cum omnibus ad eadem tria loca pertinentibus . . . per hanc nostram regalem concedimus atque largimur.

Signum Domini Henrici Regis invictissimi.

*Guntherus* Cancellarius vice *Willigisi* Archicapellani recognovi. Datum III. Non. septemb. indict. VIII. anno Dominicæ incarnationis millesimo VIII. anno vero Domini Henrici secundi regnante VII. Actum *Ingelsheim* feliciter Amen.



**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS HENRICVS  
 Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus . . . qualiter nos per inter-  
 ventum dilectæ conjugis nostræ, *Cunigunda* videlicet Imperatricis Augustæ, nec non fide-  
 lissimi nostri *Piligrani* venerabilis Coloniensis Archiepiscopi, immo familiaris nostri *Mein-  
 werci*, sanctæ Paterbrunnensis Ecclesiæ Pontificis, pro amore atque petitione nominatenus  
 sororis, re autem consanguineæ nostræ *Dominæ Sophiæ*, Ganderesheimensis Monasterii matris  
 atque *Dominæ*, nec non pro recordatione atque requie patris nostri *Henrici* Magni Bavariz  
 Ducis animæ, cujus ossa in eodem requiescunt Monasterio, talem Comitatum, qualem *Boto*  
 Comes ex Imperiali nostro tenuit munere, infra hos quinque pagos, *Ganderesheim*, *Gawi*,  
*Grenigawi*, *Friethenigawi*, *Friethenegawi*, *Flenitbagawi*, *Auganagawi*, *Winzigawi*, *Suilberigawi* & *Om-  
 mergawi*, visus est habere, ad altare sanctorum Confessorum pariterque Pontificum, scilicet  
*Anastasi* atque *Innocentii*, in quorum honore prædictum Ganderesheimense Monasterium con-  
 structum atque consecratum est . . . largimur in perpetuum.

Signum Domini *Henrici* Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.

*Guntherus* Cancellarius vice *Erchembaldi* Archicapellani recognovi. Data anno ab incar-  
 natione Domini nostri Jesu Christi Millesimo XXI. ind. 4. anno vero Domini *Henrici* Roma-  
 norum invictissimi Imperatoris Augusti, scilicet regnante vigesimo, imperante autem octavo.  
 Actum 10. Kal. Aug. *Noviomago* feliciter Amen.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS. NOTVM SIT  
 omnibus tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus, qualiter ego *Liutgardis* Dei Gra-  
 tia Ganderesheimensis Ecclesiæ Abbatisa, consensu & consilio consorum nostrarum, &  
 Principum, Nobilium, Ministerialium, litorum Ecclesiæ nostræ confamulantium, concam-  
 bium quoddam erga *Herimannum* (\*) Comitem feci. Sed hoc modo Comes *Herimannus* su-  
 pra scriptus XIII. Mansos in *Brynessen*, & in *Haboldusen*, & in *Hildebrechtisbusen*, & duos in *Sibol-  
 dihusen*, & tres & duos in *Elletbeshusen* cum omnibus pertinentiis suis in campis, in sylvis,  
 in pratis, in pascuis, in exitibus & reitibus, & in omni utilitate, quæ dici potest vel excogi-  
 tari, contradidit Ecclesiæ nostræ in concambio pro solo loco castri in monticulo *Schiltbere*  
 dicto. Hanc autem traditionem absque omnium contradictione hæredum suorum confir-  
 mavit idem *Herimannus* jure perhenni in Monasterio nostro in proprietatem. Et ut hoc  
 concambium & hæc traditio perhenniter inconvulsa permaneat, & per futura tempora melius  
 observetur, veriusque credatur, impressione sigilli Ecclesiæ nostræ supradictique *Herimanni*  
 sigilli impressione consignari iussimus. Acta sunt hæc in Ganderesheim anno ab incarnatione  
 Dominica millesimo, centesimo quadragesimo octavo, indiēt. XII. regnante Rege *Conrado*, duo-  
 decimo autem anno Regni ejus, *Bernardo* Episcopo Hildesheim præsidente, *Arnoldo* Cancellario  
 Regni; Advocato Ecclesiæ nostræ eodem *Herimanno*, his testibus & cooperantibus *Ger-  
 trude* Præposita, *Berta* Decana, omnique congregatione & familia, *Friderico* Palatino, *Athelberto*  
 Marchione, *Hinrico* Duce, Nobilibusque *Folcuino* *Widokino* de Sualenberg, *Henrico* de *Boden-  
 burg*, *Hahold* de *Ruden*, *Hahold* de *Burnheim*, & aliis compluribus: Ministerialibus vero *Wal-  
 tero* advocato, *Burchardo* & *Wanrado* Camerariis, *Theoderico* Dapifero, *Heinrico* Pincerna, *Marcolfo*,  
*Johanne*, *Gberardo*, *Bertolfo*, *Dageberto*, *Basilio*, *Henckone* cum cæteris ministerialibus & litoribus.  
 Carta ista data est III. Kal. Jul.

**I**NNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei dilectæ in Christo filiæ  
*Matildi* Abbatisæ Monasterii Sanctorum *Anastasi* & *Innocentii* in Gandersem eiusque  
 sororibus regulariter substituendis . . . Ea propter dilectæ in Domino filiæ vestris justis  
 petitionibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium in *Gandersem*, quod ad Roma-  
 nam Ecclesiam pertinet nullo mediante, & in fundo & proprietate Beati Petri noscitur esse,  
 constructum, ad exemplar felicitis recordationis *Agapiti* & *Johannis* [XIII] prædecessorum no-  
 strorum Romanorum Pontificum cum Clericis & ministerialibus omnibus ad idem Monaste-  
 rium pertinentibus, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privi-  
 legio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Canonicus ordo, qui hætenus est  
 observatus, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter observetur; Præterea quascunque  
 possessiones, quæcunque bona item Monasterium in præsentiarum justè & Canonicè possi-  
 det, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium  
 seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, & vobis succedentibus,  
 ac illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus nominibus exprimenda: Locum  
 ipsum, quo præfatum Monasterium situm est cum civitate, moneta, theoloneo & foro ac  
 omnibus pertinentiis suis; infra civitatem, Ecclesiam S. Mariæ, in qua monialium est con-  
 ventus,

(\*) Est *Hormannus* de *Vvinzenburg*.



ventus, Ecclesiam S. Bonifacii in *Brundesbusen*, ubi sunt moniales incluse, & Præpositus regularis, Monasterium in *Clusa*, ubi sunt *Monachi nigri*; & Ecclesiam S. Georgii, quæ omnes juxta civitatem *Gandershem* sunt, in fundo & proprietate B. Petri constitutæ; villicationem, in *Denoste* cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis, villicationem *Hollenstede* cum pertinentiis suis, villicationem *Herbusen* cum omnibus pertinentiis suis, castrum *Wanzleve* cum perichoria, villicatione & omnibus pertinentiis suis, Erica *Denstede* cum Ecclesiis, villicationibus & pertinentiis suis. Castrum *Bruggen* cum Ecclesiis & quingentis regalibus mansis, forestis omnique sylvatica utilitate, Castrum *Derneborch*, villicationem *Wichusen* cum Ecclesiis & pertinentiis, *Alveldingerod* cum Ecclesiis, moneta & omnibus pertinentiis, *Crucht*, *Calchem*, *Blidestorp* cum Ecclesiis, vineis & omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam in *Retingrode*, castrum *Dalem* cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam in *Kerckberge* & capellam in *Sebusen*, decimas, quas in *Coloniensi*, *Halberstaden*, *Hildensemensi* diœcesi possideris, sive novalium vestrorum, quæ propriis manibus seu sumtibus colitis; & de sumtibus animalium vestrorum sive nutrimentis nullus à vobis decimas exigere aut extorquere præsumat. Nulli quoque post factam professionem ibidem fas sit absque Abbatislicæ licentia de . . . eodem loco discedere nisi arctioris religionis obtentu: discedentem vero absque communium literarum [f. commeatus literarum.] cautione nemo audeat retinere. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, Archidiaconis aliisque omnibus Ecclesiasticis secularibusve personis omnino fieri prohibemus. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Canonicorum & Capellanorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, & cætera Ecclesiastica sacramenta, à quocunque malueritis *Catholico antistite*, communionem & gratiam sedis Apostolicæ habente, absque pravitate aliqua vobis præcipimus exhiberi. . . .

Ego Innocentius Catholice Ecclesiæ Episcopus. Sequuntur subscriptiones Cardinalium. Datum per manum Johannis S. Mariæ in Cosmidin, Diaconi Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarii, X. Kal. Jul. Indiçt. VIII. incarnationis Dominicæ anno M. CC. VI. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ tertii anno nono.

**H**ONORIVS Episcopus servorum Dei venerabilibus fratribus, *Nuemburgensi*, *Mersburgensi* & C. quondam *Halberstaden* Ecclesiæ Episcopis salutem & Apostolicam benedictionem . . . sanè dilectæ in Christo filiæ, Abbatislicæ & conventus *Ganderhemensis* Ecclesiæ, quæ ad nos immediate pertinere dignoscitur, nobis conquerendo monstrarunt, quod *Guncelinus* dictus dapifer, & *B. de Vulserborele*, item de *Bivende*; ac quidam alii *Hildesemensis* & *Halberstaden* diœcesium, in fundo ipsius Ecclesiæ castrum quoddam, quod dicitur *Assenbure*, erexerunt, per quod prædictæ Ecclesiæ subversio imminet manifesta, . . . fraternitati vestræ per Apostolica præcepta mandamus, quatenus si est ita, dictum *Guncelinum* & alios, ut castrum ipsum diruant, & fundum ejusdem Abbatislicæ & conventus quietè dimittant, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellatis. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum apud Urbem veterem XV. Kal. Jul. Pontificatus nostri anno quarto.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, OTTO de BRVNESWIC omnibus præsentibus ac posteris in perpetuum. Res digna memoriæ scripti testimonio utiliter commendatur, ne decursu temporis in oblivionem veniat, & in irritum deducatur. Notum igitur facimus universis tam præsentibus ac futuris, quod cum venerabilis Domina nostra *Berta* Abbatislicæ de *Gandershem* bona voluntate nobis porrexerit omnia pheoda, quæ patruus noster Dux *Henricus* & cæteri progenitores nostri ab Ecclesia sua rationabiliter tenuerunt; de satisfactione, quam facturi sumus eidem pro damnis & molestiis, ei & Ecclesiæ tempore captivitatis nostræ ab hominibus nostris, licet præter nostram conscientiam irrogatis; inter ipsam & nos taliter est statutum, ut quatuor nobiles viri discreti, qui tam nobis quam ei homagio tenentur, in arbitros eligantur; super quos erit Dominus & amicus noster *Fridericus Halberstaden* Episcopus, & secundum quæ ipse & alii prædicti nobiles satisfactionem mediati & arbitrati fuerint, faciemus, ita ut saluti & honestati nostræ sedeat, & Domino sit accepta. Cæterum nos unà cum fidelibus nostris promissimus eidem Domine nostræ ac fidelibus suis, quod ei & Ecclesiæ suæ in omnibus necessitatibus suis fideliter assistamus, ubi nostrum adjutorium justè duxerint requirendum. Et si ab aliquo gravamen & molestiam sustinuerit pro eo, quod in collatis nobis pheodis adeo laudabiliter nos tractavit; eam per amicitiam, si poterimus, eximemus. Sin autem; adjutorium nostrum impendemus eidem secundum posse nostrum, ut tales anxietates abjiciat & evadat. Promissimus & quod nullum castrum ædificemus ad malum & detrimentum Ecclesiæ suæ, & si quis hoc attemptaverit, ei pro viribus resistemus. Ut autem hujusmodi promissio nostra semper maneat, firmiora scripta ista sigillo nostro facimus roborari. Actum est hoc juxta *Gandershem* anno Dominicæ incarnationis M. CC. XXXII. in die decollationis S. Johannis Baptistæ. Promissores nostri sunt *Henricus Comes de Lucha*, *Bernardus Comes de Danneberg*, *Bernardus de Dorstat*, *Luisardus*



de Meinersem, *Helmodus* de Bevindi, *Johannes* Dapifer noster, *Baldewinus* Mariscalcus, Anno de Heimborch, *Theodericus* de monte, *Wernerus* de Zwey. Qui autem promissum coram receperunt, sunt hi: *Adolphus* Comes de Dasle, *Conradus* de Sconeberge, fratres de Plesse, *Hermannus* & *Ernestus* de Uslar, *Thitmarus* de Wikbeck, *Guntberus* & *Bernardus* de Hardenberge, *Gisfelbertus*, *Johannes* & *Gherardus* ministeriales de Gandersem.

**M**ATHILDIS Dei Gratia Gandersemensis Ecclesiæ Abbatissa, declaramus . . . nos & familia nostra & officii nostri, Domina nostræ cum Canonicis & ministerialibus & famulis eorundem, & officii Ecclesiæ, quamcunque domum inhabitent persona præsentis, vel ubi domicilium habeant, de jure ad nostrum Monasterium pertinere. Et si ministeriales, qui de jure indulto & alii milites, qui ex consuetudine præscripta, ab antiquo eidem monasterio pertinere dignoscuntur, vel hæredes ipsorum, curtesque vel domos suas in absentia sua aliis personis ad habitandum locaverint, in quacunque eorundem domorum, dummodo publicas mercationes non exercent, in eisdem ad monasterium similiter pertinebunt. Quamdiu autem easdem domos aliqui negotiatores sub publico mercatu inhabitaverint, iidem ad parochiam S. Georgii pertinebunt. *Publicas mercationes* intelligimus, cum quis negotiando eas emerit infra limitem fori lucris causa, ut carius vendat. Item officii conventus, utpote campanarii, cocus communis, claviger granarii communis, quoad suas personas duntaxat, ubicunque habitaverint, monasterio pertinebunt.

**I**N NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS. NOS DEI Gratia *Margareta* & conventus Ecclesiæ Gandersheimensis notum facimus . . . qualiter *Comes Biso* cum carnali sorore sua nomine *Bertha* limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli atque Domini Papæ pedes in peregrinatione pro sua accepta pœnitentia, ab ipso post reditum ad patriam de prædio suo sexaginta mansos cum castello, quod dicitur *Geveldehusen*, tradidit sancto Johanni Baptista & sanctis Confessoribus, *Anastasio* & *Innocentio*, & Gandersheimensi Ecclesiæ pro remedio animarum suarum & omnium parentum suorum, cum omni utilitate & justitia, sicuti oportuit, & Jus Saxonum obtinuit . . . Sed præfatus *Comes Biso* in supra dicto castello cognominato omnium consensu, qui erant in Gandersheimensi Ecclesia memorata honorabilem Ecclesiam fabricavit de lapidibus murorum & turrium ipsius castelli in honore Domini Nostri Jesu Christi & S. Mariæ perpetuæ Virginis & S. Laurentii Martyris, cujus reliquias præfato Comiti traditas à beatæ memoriæ Papa *Martino*, in eandem Ecclesiam attulit, & cum reliquiis Sancti Andreæ Apostoli atque Pancratii martyris, nec non aliorum plurimorum Sanctorum honorificè collocavit, dorando his mansis supra scriptis, prædiis & mancipiis eandem Ecclesiam . . . Actum Dominicæ Incarnationis 1256. sub initiationis nostræ anno quarto.

XXX.

NARRATIO

de

## FVNDATIONE ET RESTAVRATIONE MONASTERII S. MICHAELIS

IN LVNEBVRCHE,

Ex MSto.



Mnibus, hoc scriptum legentibus, seu aliis exponentibus, sit salus in Eo, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Ne, ad merita bonorum operum virorum amplianda, Basilicæ S. Michaelis Gratia sive Indulgentiæ vos lateant, quæ non solum ejus Benefactoribus, verum etiam, pro eis devotè orantibus, concessa sunt; viginti enim & sex Episcopi sunt, quorum quilibet, dedit quadraginta dierum Indulgentiam & Karenam, & sunt mille dies & quadraginta, & viginti sex Karenæ. (a) Hanc Indulgentiam, & omnes gratias, à sede Romana antiquitus  
datas,

(a) Karenæ sunt quadragenæ seu dies 40. videatur Ducangius.



datas, tam largitiones Regum (b), quam concessionem Pontificum, Gregorius X (c); Alexander IV (d), Innocentius III (e), Romani Pontifices, cum primis habitis & in futurum habendis, confirmaverunt, & locum hunc in suam protectionem receperunt, ne quis personas, & res, hujus Ecclesie cum omnibus pertinentiis suis, indebite molestare presumat, sub intimatione maledictionis aeternae, districtissime prohibentes. Et super hoc, literae praedictorum Pontificum verae, bullatae, non vitiatae, & omni suspitione carentes, apud militantes Domino, in eodem Monasterio S. Michaelis, continentur. Fundator autem hujus Basilicæ, vir egregius, *Hermannus*, piæ memoriæ, *primus Dux Saxonie*, devotus extitit, quem primitus, consilio Principum, in Ducatum promovit Vir potentissimus Otto Magnus Imperator, Henrici Imperatoris Filius, qui anno ab Incarnatione Domini nongentesimo tricesimo septimo factus Romanorum Imperator; & hic erat Octuagesimus ab Augusto.

Dedicatum vero est hoc Monasterium in honorem Omnium Sanctorum & praecipue in honorem S. Michaelis Archangeli, caelestis militiæ Principis, anno Domini millesimo quingentesimo quinto, Indictione octava, ipso die Kalendarum Octobris, à venerabili *Episcopo Verdensi Sigiberto*.

Fluxerunt autem amplius quam *centum anni*, ut in Cronicis exprimitur à tempore, quo ædificatio Monasterii inchoata est, usque ad consecrationem ejusdem (\*). Post multum vero temporis lapsum, idem Monasterium vetustate, qua omnia corruptibilia consumuntur, dilapsum est, sed iterum de novo, consilio & adjutorio Dominorum, qui ab ipso Hermanno bonæ memoriæ strenuo Duce hujus Ecclesie Fundatore processerunt, reformatum est, inter quos primus & principus fuit *Dux Johannes* felicitis recordationis, qui obiit anno Domini 1277, qui ad structuram hujus Fabricæ unum chorum salis dedit, in salina Luneborg, ad eandem perpetuo pertinentem.

Et filius ejus Otto, Dux egregius, cum inclita Coniuge sua *Mechildi*, filia Ducis *Bavariae*, non sine magnis laboribus, & expensis, Abbatis & monachorum, hic Christo famulantium, nec non etiam elemosinis Militum, & Famulorum, & aliorum bonorum hominum, quibus omnibus sit merces Dei filius, sollempniter reædificavit. Est autem dedicatum hoc Monasterium, post reædificationem, cum novem altaribus, anno domini M. CCC. V. à venerabili Domino, *Frederico, Verdensi Episcopo*, 14. Kal. Octob. per tres dies. Primo die, consecravit Monasterium in honorem S. Michaelis, & summum Altare; aliis vero duobus diebus consecravit alia octo Altaria. Agitur autem dedicatio tam Monasterii, quam novem Altarium ipso die Kal. Octobris hoc est, in die Remigii, quo antiquum Monasterium fuit dedicatum, anno, ut dictum, 1055. Dedicata est Crypta sive Capella, quæ est sub Choro, cum tribus Altaribus, in honorem gloriosæ Virginis Mariæ, & continentur in medio Altari sanctissimæ Reliquiæ, scilicet de capillis Virginis Mariæ & de vestimentis ejus, & de Lacte, cum aliis Reliquiis multorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum; quæ capella, cum antiquo Monasterio fuit contracta, & cum novo iterum restructa, Reliquiis integre servatis & iterum impositis. Consecrata autem est à prefato Domino *Frederico, Verdensi Episcopo*, anno Domini M. CCC. III. decimo die Kal. Novembris, id est, in die S. Severini Episcopi. Agitur autem dedicatio prædictæ cryptæ, & trium Altarium ibidem, proxima Dominica post Festum S. Severini Episcopi. Et sic duodecim Altaria habentur in hoc Monasterio. In quorum honorem dedicata sint, & quorum & quarum in eisdem habeantur Reliquiæ, quæ etiam multæ sunt, per Imperatores, & Dominos terrarum diversis temporibus apportata, qui scire voluerit, *hujus Ecclesie libros* perlegat, in quibus plenissime continentur. Huic igitur Ecclesie pacem veram servantibus sit pax Jhesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis, & vitam æternam percipiant in futuro, Amen.

Monasterio itaque, ut præmissum est, completè constructo & consecrato, & ad aliquot annos, personis hujusmodi Monasterii Ministris Christi, sub regula D. Benedicti Domino famulantibus, ecce suggestionem Dyaboli, qui ab antiquo malorum inventor est, & patris inimicus, in Ducatu Luneborgensi maxima guerrarum & hostilium perturbationum, exorta sunt incommoda inter Dominos terræ & Consulatam & civitatem Luneborgensem. Quapropter contigit, per multa hinc inde discrimina ex utraque parte præhabita, ut Monasterium ipsum una cum Castro *Luneborg* funditus destrueretur, adeo, quod neq; locus, neq; Monasterium,

Bbb 3

sterium,

(b) Puta, *Otonis Magni*. Dat. Magdeborch an. 956. 7. Id. Augusti, Regni ejus anno 22. Eiusdem datum Quitlingheborch an. 959, indict. 2, anno Regni 24. Eiusdem Dat. anno 965. Kal. Octobr. Regni 31. *Lotharii Saxonis* sub dato Luneborg 1134. 17. Kal. Jun. Indict. 11. *Frederici primi* dat. Erfordie 1172. Indict. 3.

(c) Rectius IX. Nam X, post Alexandrum IV. sedit, Datum autem diploma *Prusii* V. Id. Nov. Pontificatus ejus anno tertio.

(d) Scil. anno secundo sui Pontificatus Christi 1256.

(e) Scil. anno octavo Pontificatus sui VI. Kal. Octobr. datum Romæ. Adde Innocentii III. diploma, sub dato *Lugdunis* pridie Id. Maji, Pontificatus ipsius anno secundo.

(\*) Ergo est inchoata paulo ante annum 955.



nafterium, neque, quod deterius est, spes aliqua restaurationis ejusdem Monasterii remaneret. Nichilominus tamen Abbas & Conventus, videntes aliud fieri non posse, Clenodia singula, videlicet Reliquias cum vasis suis, & ornamenta cætera, quibus ad cultum Divinum usi fuerant, jura, privilegia, literas, libros, & alia singula bona sua, quocumque quisque poterat, in custodiam deferebat. Facta est autem hæc Castri & Monasterii destructio anno Domini M. CCC. LXXI. in vigilia purificationis B. Mariæ Virginis.

Hiis, ut dictum est, gestis & peractis, annis fere duobus devolutis, Illustres Domini, *Wentzlau & Albertus, Duces Saxonie & Luneborg*, pietate commoti, & hujusmodi prædicti Monasterii, & cultus divini innibi fieri consueti casum dolentes, una cum ratihabitione Illustrum Domicellorum, *Frederici & Bernardi, Ducum Brunsvicensium*; Proconsulum etiam & Consulium & universitatis Opidi Luneborg, ad hoc specialiter cooperantium, prædictis Religiosis viris, Abbati & Conventui S. Michaelis, dederunt & assignaverunt, pure, libere, & perpetuo, locum quendam intra muros jam dicti opidi Luneborg, vulgariter dictum *De Hole Eck*, prout circumquaque in longum & latum extensus fuerat, vel per dictos Proconsules & Consules, qui pro tempore fuerint, contingeret ampliari, in honorem Dei, & Gloriosæ Virginis Mariæ, sanctique Michaelis Archangeli, pro novo Monasterio, & aliis necessariis & utilibus ædificiis, sollempniter reinstaurandis, locum ipsum dictum ab omnibus exactionibus, seu etiam servitutibus quibuscunque, & aliis oneribus, liberantes. Prædicti etiam Domini *Wentzlau & Albertus, Duces Saxonie & Luneborg*, singula tum privilegia, bona mobilia & immobilia, literas, libertates & honores, quibus, per Progenitores & Prædecessores suos, prædicti Abbas & conventus, & quondam ipsorum Monasterium dotati fuerant, confirmabant & innovabant, prout in literis, desuper editis & confectis, lucidius continetur. Acta autem sunt hæc Luneborg, Anno Domini M. CCC. LXXIII. mensis Novembris die 25, hoc est, ipso die Katherinæ Virginis.

Qua donatione seu oblatione tam pie & salubriter facta, venerabilis in Christo Pater, Dominus *Hinricus, Ecclesie Verdensis Episcopus*, ad petitionem prædictorum Principum, Abbatis & conventus, Proconsulum etiam & Consulium ac universitatis præfati opidi Luneborg, in præsentia eorundem, cum sollempnitate debita & consueta, lapidem primarium posuit, ad erigendum extunc, construendum, perficiendum sollempne Monasterium cum capellis, Altaribus, & ceteris ædificiis necessariis seu utilibus; omnia etiam jura, privilegia, literas, bona mobilia & immobilia, libertates & honores, quibus, per prædecessores suos, Episcopos, dicti Abbas & Conventus, & antea eorum Monasterium, fuerant dotati, similiter innovans & confirmans. Acta autem sunt hæc anno Domini M. CCC. LXXVI. mensis Julii, die 14, hoc est, in profesto Divisionis Apostolorum.

Ab illo tunc tempore, sæpe dicti Domini Abbas & Conventus ad structuram Monasterii, in quo quantocius Divina celebrarent, frequentibus laboribus processerunt, unde primo cryptam, quæ est sub Choro, cum tribus Altaribus, quemadmodum in antiquo Monasterio fuerat, construxerunt; quæ completa, & per eundem venerabilem, in Christo Patrem, Dominum *Hinricum, Episcopum Verdensem*, consecrata est, una cum Cæmeterio, anno Domini M. CCC. LXXIX. ipso die Bonifacii, cujus dedicatio proxima Dominica post Festum Assumptionis Mariæ, peragitur.

Ex post, non sine magnis laboribus & expensis, anterior pars Ecclesiæ, cum suis attinentiis, dextrorsum & sinistrorsum, sollempniter, ut oculis conspicitur, constructa est. Tempore autem hujus structuræ, ante dicti Religiosi Viri domino Deo in dicta crypta divina celebrabant, cum in alio loco non haberent facultatem. Completa autem est prædicta Monasterii anterior pars, & per venerabilem in Christo Patrem, Dominum *Ottonem, Illustrum Fratrem Dominorum Ducum de Brunwic & Luneborch, Episcopum Verdensem*, consecrata, cum summo & B. Mariæ in Choro Altaribus, anno Domini M. CCC. XC. ipso die Laurentii Martyris: Cujus dedicatio agebatur, ipso die Remigii, nunc vero translata est, in Dominicam proximam sequentem, post Festum S. Michaelis, per venerabilem Dominum, *Ulricum, pro tunc assumptum Dominum Verdensem*.

Tunc vero magnis laboribus, sumptibus & expensis fatigati, à structura ulteriori Ecclesiæ ipsius cessaverunt, annis fere XIX, quibus devolutis, Abbas & Conventus, tanquam Monasterii veri Zelatores, iterum, ad complendam partem posteriorem residuam Ecclesiæ insudarunt. quam Domino cooperante similiter, ut videtur, sollempniter per aliquot annos compleverunt. Consecratio vero hujus posterioris partis facta est per venerabilem Dominum, *Hildemarum, Vicarium in Pontificalibus venerabilis in Christo Patris, Domini Hinrici de Hoya, Episcopi Verdensis*, anno Domini M. CCCC. XVIII. in die translationis S. Benedicti, cujus dedicatio, simul cum dedicatione anterioris partis, ut præmissum est, celebratur.

Completem est ergo monasterium, & gloriose constructum, in honorem Dei omnipotentis, & gloriosæ Virginis Mariæ, Sanctique Michaelis Archangeli, cujus Fautoribus seu Amicis sit salus & pax in præfenti, & gloria in futuro, per eum, qui sine fine vivit & regnat Amen.

*Indulgen-*



*Indulgentiæ anno 1281. datæ.*

**R**aymondus Dei Gratia Sanctæ Aquilegiensis sedis Patriarcha; Gundisfallvus Sanctæ Thole-  
tanæ Ecclesiæ Archiepiscopus; Frater Guido Papiensis Episcopus; Frater Sinibaldus  
Melphiensis Episcopus; Mathæus Vicensis Episcopus, Franciscus Urbevitanus Episcopus;  
Bernardus Episcopus Cumanus; Borehardus Lubicensis Episcopus; Petrus Bajocensis Episco-  
pus; Frater Wilhelmus Episcopus Civitatis Castellanzæ; Raymundus Ausonensis & Vitenfis Epi-  
scopus; Johannes Gurcensis Episcopus; Petrus Reatinus Episcopus; Frater Johannes Letto-  
nienfis Episcopus, universis Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis,  
salutem, in eo, qui est omnium salus.

**E**T si universorum loca sanctorum, propter multiplicia beneficiorum dona, quæ  
ipsorum interventionibus, nobis à Domino conferuntur, cum devoto mentis affectu,  
debeant juxta fidem visitari; non indigne illius liminibus specialiter honorificentia de-  
betur devotio, qui à suæ creationis initio, Civis factus celestis patriæ, ut & noster Concivis fie-  
ret, ut familiariter, audita nostra desideria divinæ Majestatis conspectibus præsentaret, & ea,  
cum supplicationis devotæ instantia, promoveret, specialem elegit inter Homines mansio-  
nem; hic est ille Archangelus Michael, Princeps cœlestis militia, qui de antiqui hostis super-  
bia mirabiliter triumphavit; hic est ille, cujus Imperio vita nostra in terris à Dæmonum,  
[insultu] communitur, & hic est ille, qui, dissoluta carnis & animæ unione, Deo fidelium  
animas repræsentat. Ut igitur nos, qui, licet indigni, spiritualem thesaurum sanctæ matris  
Ecclesiæ, miserante Domino, dispensamus, possimus tanti Principis patrocinia promereri, de-  
votionem vestram, cum largitione munerum, excitando, ad ipsius alicubi limina visitanda,  
ne labor vester in Domino sit inanis; Omnibus, vere pœnitentibus, & confessis, qui *Eccle-  
siam in Luneborg, Verdensis Diocesis, in honore ipsius Archangeli dedicatam, in Festivitatibus, & dedi-  
catione ipsius, & per Octavas earundem, in nostri Redemptoris Festivitatibus, B. Mariæ vir-  
ginis, Omnium Sanctorum, Johannis Baptistæ, Apostolorum omnium, B. Mariæ Magda-  
lenæ, B. Laurentii, B. Benedicti Abbatis, cujus ibidem viget Observantia regularis, cum de-  
votione, personaliter visitaverint, vel ad reparationem, & ad sustentationem, ipsius Eccle-  
siæ, ac servitorum ejus, de bonis propriis fuerint elargiti, singuli singulas Quadragenas, &  
Carenam, de injuncta eis pœna, dummodo Dyocefani Voluntas præcesserit, vel accedat,  
misericorditer in Domino relaxamus. Datum apud Urbem Veterem, Anno ab Incarnatione  
Domini M. CC. LXXXI, III. Kal. Septembris Pontificatus Domini Martini Papæ Quarti Anno  
primo. In cujus rei testimonium præsentem cartam, appensione nostrorum sigillorum, du-  
ximus roborandam.*

XXXI.

OTTONIS KULTZINGI,

Præpositi in Hilgenthal ordinis præmonstratensis

NARRATIO

de

FUNDATIONE ET TRANSLATIONE

MONASTERII SUI IN LVNEBORCH,

Ex MSto.



**N**Ota, quod illud præsens monasterium HILGENDAL primo fundatum fuit  
per strenuum militem Dominum Lippoldum de Doren in Kerchheldersfen, ad instan-  
tiam Religiosi & devoti viri Fratris Euerhardi Canonici Sanctimonis ordinis Præ-  
monstratensis, Bremensis Diocesis, anno Domini M. CCC. XIII. quinto Idus Fe-  
bruarii, temporibus Domini Nicolai Ketelbud Episcopi Verdensis, ac Dominorum Ottonis & Wilhelmi  
Ducum in Brunswie & Luneborgh, ubi fere annis tribus duravit. Et dicto fratre Euerhardo vi-  
vente fuit idem Monasterium translatum, de & cum consensu prædicti Domini Nicolai, ad  
locum dictum Zibelingborstfeld intra eandem parochiam, ibique habitaverunt annis fere LXV;  
& post hæc translati sunt Luneborgh, ut post inferius. Horum temporibus fuerunt Episcopi  
Dominus Nicolaus prædictus, Johannes de Frisea, Daniel Carmelita, Rodolfus, Gherardus, Hinricus,  
Johan-